2909

c.c.f 145 u.
30
23.

P. D. O. M.

EX DECRETO INCLYTI COLLEGII IVRISCONsultorum in celeberrima Basiliensium Academia

PRO

Consequendis in vtroq; Iure Doctoralibus priuilegijs atq; insignibus,

SEQVENTES

DE SERVITVTIBVS PRÆDIALIBVS Propositiones

CASPARVS HERMANNVS Heltburgensis

Ad diem 15. Augusti, hora & loco solitis,

Disputando publicè tuebitur.

DE SERVITVTIBVS PRAEDIALIBVS.

I.

SERVITVTES aut personarum sunt, ut Vsus & Vsusfructus: aut rerum, ut seruitutes Rusticorum prædiorum & Vrbanorum.

II.

Nos prętermissa personarum, de prędiorum seruitutibus insequentibus Propositionibus acturi: finimus eam Ius agendi habendíue aliquid in fundo alieno, ad sui prædij utilitatem, quod Iure communi agere habereúe non licet.

III.

Nam sine corpore seruitus esse nequit, utpote res incorporalis & in Iure consistens. Subiectum igitur est prædium Rusticum vel Vrbanum. Nemo enim seruitutem prædiorum acquirit, nec quisquam debet, nisi qui habet prędium, & quidem vicinum.

IV.

Commoditas etiam aliqua ex seruitute debita ad nostrum redundare prædium, vel nos, oportet.

V.

Si enim ita stipuler, ne per fundum tuum eas, aut ibi consistas, vel mihi concedas ius tibi non

esse fundo tuo uti frui, nihil agitur.

VI.

Nequaquam autem Dominus solus, sed & Emphyteuta & Vasallus seruitutem prędio imponere possunt: Vsufructuarius non item.

VII.

Vnus autem ex Dominis cõmunium ædium seruitutem imponere non potest.

VIII.

Neque rebus sacris, religiosis, alijsq; iuri humano exemtis locis, ullæ seruitutes priuata lege imponuntur.

IX.

Maritus quoque rei dotali seruitutem imponere nequit.

X.

Constituitur autem seruitus tam pactionibus inter viuos, quàm ultimis voluntatibus: veluti testamento, codicillis & legatis, necnon consuetudine, & hodie longi temporis præscriptione, rerum immobilium exemplo.

XI.

Præscriptio autem hæc ut procedat, scientia eius, contra quem præscribitur, requiritur, non item titulus.

XII.

Forma in duobus consistere videtur, videlicet usu

cet usu eius, cuius prędio seruitus debetur, & patientia Domini, cuius prædium seruitutem debet, quæ succedit in locum traditionis.

XIII.

Ad naturam verò omnium seruitutum pertinet, ut causam perpetuam continuamq; habeãt, siue actu, siue potentia.

XIV.

Hinc meritò illa communi DD. calculo approbata distinctio, qua seruitutes in continuas & discontinuas distribuuntur, reijcitur.

XV.

Neque etiam seruitus possideri potest: sed intelligitur possessionem eius habere is, qui prædium possidet.

XVI.

Deinde seruitus prędialis diuisionem non recipit: sed in toto est tota, & qualibet parte tota.

XVII.

In hunc verò finem constituuntur seruitutes, non ut principaliter quis aliquid faciat, sed ut quid patiatur, vel non faciat, quod illi aliàs iure naturæ liceret.

XVIII.

Huius porrò seruitutis prædialis species duæ sunt: aliæ enim Rusticorum, aliæ Vrbanorum prædiorum dicuntur.

XIX.

Vrbanorum prædiorum seruitutes sunt, quę ab alieno prædio debentur nostro prædio urbano: qualis est Ius altius tollendi, stillicidium vel flumen in tectum areámue vicini auertendi, &c. Item tigni immittendi, luminibus vel prospectui ne officiatur, oneris ferendi, &c.

XX.

Rusticorum prædiorum seruitutes sunt, quæ ab alieno prædio nostro rustico prædio debentur. Quarum diuisionem in nominatas & innominatas reiiciendam putamus.

XXI.

Prædiorum rusticorum seruitutes sunt hæ: iter, actus, via, aquæductus, &c.

XXII.

Seruitutum nomine dantur duæ actiones in rem: quarum altera dicitur Confessoria, altera Negatoria.

XXIII.

Confessoria competit ei, qui seruitutes sibi competere contendit: Negatoria Domino qui negat, suumq; prædium liberum esse asserit.

XXIV.

Confessoria duplex, Directa & Vtilis. Directa datur ei, qui habet directum dominium prędij dominantis, contra eum qui seruientis dominus est.

XXV.

Vtilis datur ei qui utile dominium habet, siue ius aliquod in illa re, cui debetur seruitus: ut est Creditor pignoris, Emphyteuta, Vasallus, &c.

XXVI.

Datur quoque Vtilis confessoria directum dominium habenti, contra eum qui prædij seruientis dominus non est, sed aliàs uti seruitute eum impedit.

XXVII.

Hinc facile est colligere, quibus Negatoria & quomodo competat, cùm oppositorum eadem sit doctrina. Directa enim dominium habenti directa, Vtile vel ius in re utilis datur.

XXVIII.

Modi amittendi seruitutem plurimi referuntur: quorũ primus est Confusio dominij, quando scilicet quis utriusq; prędij, dominãtis & seruientis, dominus esse cœperit.

XXIX.

Deinde seruitus quoq; amittitur, si is cui debetur seruitus, concedat ius expressè seruituti contrarium.

Tandem

XXX.

Tandem amittitur negligentia & non utendo, ſed diuerſimodè. In ruſticis enim prædijs abſque omni facto, ſolo non uſu perit ſeruitus: in urbanis verò ad negligentiam accedat oportet factum, quo impediatur ſeruitutis uſus.

BASILEÆ, TYPIS OPORINIANIS, ANNO NATIVITATIS CHRISTI

M. D. XC.

6575-